





1730, 29. 20. num. 37. *Costa*  
DISSERTATIO INAUGVRALIS IVRIDICA,

DE EO QVOD IYSTVM EST  
CIRCA

*32*  
ALTERVM TANTVM  
VSVRARIVM,

*P.A.A.*  
QVAM  
CONSENSV  
ILLVSTRIS FCTORVM ORDINIS  
ALMÆ AC PER-ANTIQVÆ VNIVERSITATIS  
ERFORDIENSIS,  
PRÆSIDE

DN. ERNESTO TENZELL, JCTO,  
EMINENTISS. AC SERENISS. PRINCIPIS ELECTORIS MOGVNTINI CONSILIARIO  
REGIMINIS, JVDICII PROVINCIALIS ERFORDIENSIS ASSESSORE,  
AC CIVITATIS CONSVLE PRIMARIO,

IN AVDITORIO JCTORVM MAJORI,  
PRO SVMMIS IN VTROQVE  
JVRE HONORIBVS  
RITE CAPESSENDIS,

*15*  
ERVDITORVM CENSVRÆ SVBMITTIT  
DANIEL ANDREAS HEROLD,  
Herzbergenfis.

DIE XXX. JVNII A. M DCC XXX.

ERFORDIÆ,

Literis GROSCHIANIS, Acad. Typogr.



DE LO QVOD IVSTVM EST  
CIRCA

ALTERVM TANTVM  
VENARIVM

CONSENSV  
HABITVM CONFORMI ORDINI  
ALME ACADEMIE TUBINGENSIS  
ELECTIONIS

FRANCO  
DILECTISSIMO THOMAE JACO  
DE

IN ACADEMIA TUBINGENSIS  
PRO STAMIS IN VITROVE  
IVRE HONORIBVS  
MRE CAUSIS

DANIEL ANDREAS HESOLD

IN TUBINGA  
MDCCLXXII

IN TUBINGA  
MDCCLXXII

12





DISSERTATIONIS INAUGVRALIS  
DE EO QVOD IYSTVM EST  
CIRCA  
ALTERVM TANTVM  
VSVRARIVM

§. I.



Revem speciminis inauguralis loco  
de ALTERO TANTO VSVRARIO  
commentationem Academicam  
suscepturus, haud opus esse dūco,  
prolixius de thematis hujus ety-  
mologia differere, hinc satis puto,  
saltim monere, ALTERVM TANTVM  
in genere nihil aliud denotare, quam *equalem* rerum in  
commercium cadentium, de quibus sermo est, *quantita-*  
*tem*, potissimum autem pecuniæ *equalem summam*, ejus-  
que synonymum in jure nostro esse *Tantum aliud*, ut in  
*L. 7. C. de Fur. fisci*, ubi quippe Constantinus Imperator  
jubet, *ut si post rem secundum fiscum judicatam interuersum*  
*quid fuisse apparuerit, ex bonis illud denno exigatur, & ex-*  
*trin-*

A 2

*insecus integrum TANTVM ALIVD, multa nomine, quantum fuerit per fraudem ablatum.* Aliud synonymum *alterius tanti* apud Latinos est vocabalum *tantundem*, quo etiam utitur *L. si quis 7. C. unde vi*, dum ea jubet, ut si quis rem alienam mobilem vi rapere, aut immobilem apud fiscum, vel privatum constitutam violenter invadere ausus fuerit, is post rei restitutionem *tantundem* quoque in vera æstimatione vim passo præstare compellatur, quamvis hanc legem, propter rigorem suum, communi totius Christiani orbis usu & praxi antiquatam velit DIDAC. COVARRUVIAS *variar. resolut. L. 3. cap. 16. n. 7.* cui adstipulatur etiam CLVTEN in *libro singul. rer. quotid. Cap. 8. Sect. 9. n. 66.* ubi & commemorat, ita pronunciatum esse à Collegio *Jurid. Helmstad. d. 26. Martii 1616.* Quam plures alios DD. qui hanc legem in praxi obtinere statuunt vid. apud BERGERVM in *Oecon. Fur. p. 784.*

## §. II.

Coëterum præcipuæ Leges quæ ALTERIVS TANTI mentionem faciunt, sunt sequentes, nimirum primo *L. 13. pr. ff. de lib. & postb. hered. instit.* ubi quippe JCTVS JULIANVS: *Secundum voluntatem, inquit, testantis filius ALTERO TANTO amplius habebit, quam uxor, & uxor ALTERO TANTO amplius, quam filia; secundo L. 18. §. 3. in fr. ff. de alim. & cib. leg.* ubi quippe JCTVS SCÆVOLA quæsitum esse ait: *an ALTERVM TANTVM à substitutione legatum, deducta tertia parte quantitatis legatorum testamento datorum computari debeat: ut duæ partes quantitatis debeantur præter codicillos, quibus tertiam partem codicillis legatorum ad filiam suam pertinere*

voluit, & responsum esse, integrum ex tabb. substitutionis deberi; tertio L. si postulaverit 27. in pr. ff. ad L. Jul. de Adulter. ubi JCTVS VLPIANVS: si quis servum, inquit, adulterii accusaverit, petieritque eum super hoc delicto torqueri, sive questioni præsens fuerit Accusator, sive non, Judex aestimabit, in quantum servus deterior per hanc torturam factus sit, atque in eam aestimationis summam, ALTERVM TANTVM pœne loco eum qui petierit, ut habeatur questio, Domino, vel ei, ad quem servus ille pertinuerit, condemnabit. Quarto L. 9. §. quod illicite ff. de Publ. & Vectigal. ubi, ut occurreretur Publicanorum exterebrationibus & concursionibus, respondit JCTVS PAVLVS: omne id, quod a Publicanis, sive privata, sive sub specie publicæ autoritatis inique extortum fuerit cum ALTERO TANTO iis, qui hoc nomine damni aliquid perpeffi sunt esse restituendum.

§. III.

Quinto L. non intelligitur 3. §. fin. ff. de jure fisci, utpote quæ eos, qui in loco ad fiscum pertinente thesaurum invenerunt, partem autem fisco debitam supprimunt, ad totius inventi thesauri restitutionem, cum ALTERO TANTO, propter delictum, compellit. Sexto L. si constiterit, 4. C. fin. regund. qua constituit IMP. CONSTANTINVS, ut, si quis contra vicinum suum finium regundorum actionem moverit, litemque contestatus, finali sententia non expectata, terram vicini sui privata & propria autoritate occupaverit, is tanquam irreptor pœnas suas perferat: & si quidem obtinuerit, terram quam petiit, amittat, si vero in lite fuerit superatus, non modo agri illud, quod occupavit, verum & ALTERVM TANTVM de suo agro pristino possessori restituat. Quamvis MORNACIVS in h. l. hanc pœnam

hodie in usu esse neget, quoad juris privationem, quod violenti invasores multentur poena arbitraria filco applicanda, quem sequi videtur PEREZ *in h. t. n. 5.*

§. IV.

Supereft adhuc decantatiffimum nostrum ALTERVM TANTVM, usurarium nimirum, inde ita dictum, quod cursum usurarum sistat, quo de quamplurimæ LL. in jure nostro agunt, e. g. *L. 26. §. 1. ff. de condict. indeb. L. 9. de usur. & fruct. L. 10. & L. 27. §. 1. C. de usur. L. 4. §. 1. de naut. fœn. Nov. 121. c. 1. 2. Nov. 138.* Sed antequam id ipsum penitius consideremus non abs re erit totum usurarum negotium ab ipsis incunabulis non nihil repetere. Refert nimirum CORNEL. TACITVS *L. 6. Annal. cap. 16.* primo XII. tabb. esse sancitum, ne quis unciario fœnore (i. e. centesima sortis parte) amplius exerceret, cum antea ex libidine locupletum agigaretur: deinde rogatione tribunitia ad semuncias redacta, postremo vetita versura, multisque plebiscitis obviam itum fraudibus, quæ toties repressæ miras per artes iterum oriebantur. Nec unquam primo illo tempore LL. Romanis centesima majorem licitam fuisse usuram reperitur, adeo ut *L. qui sine 38. ff. de de Neg. gest.* eam usuram maximam, & *L. Tutor qui reperi. 7. §. 8. ff. de admin. tat.* usuram gravissimam appelleret, tribus tantum, fœnore nautico nimirum, usuris rei judicatæ, & usuris frugum, quæ mutuo datæ sunt, specialiter & ex peculiari ratione exceptis, in quibus etiam supra centesimam recepta erat usura, arg. *L. 4. & 5. ff. de fœn. naut. L. 2. C. de usur. rei judic. L. 1. C. Theod. de usur. & L. 23. C. eod. HOTOMANNVS de usur. & fruct. n. 31. MOLINEVS de com-*



*commerc. & usur. n. 40. & 98. GIPHAN. ad L. 26. C. de usur. BACHOV. ad Treutl. Vol. II. Disp. 3. th. 1. lit. D. & thes. 4. lit. A.*

§. V.

Postea ætate PAPINIANI JCTI, sub SEVERO & ANTONINO IMPP. constitutum fuit, ut si quis usuras fuerit stipulatus, stipulatio non valeret, nisi intra præscriptum legitimum earundem modum consisteret, h. e. alterum tantum non egrederetur, qua de re elegaus, paulo tamen intricatior textus est in *L. nihil interest 4. §. 1. ff. de naut. fœn.* in qua sequens proponitur species: Creditor qui pecuniam fœnori dare solitus erat, mercium coëmendarum gratia, mercatori cuidam ad maritima negotia peregre proficiscenti in certum usque diem trajectitiam pecuniam mutuo dederat, puta à Calend. Mart. usque ad Calend. Septembr. stipulatusque ab eodem erat duplicem centesimam in menses singulos. Quia autem & iter valde periculosum ipsi videbatur, & debitori suo parum fidei habebat, adjunxerat eidem servum, qui pecuniam fœnebrem una cum usuris à debitore constituto tempore exigeret, quod si autem in solutione cessaret, prospexerat in hoc etiam sibi Creditor, stipulando certam pecuniæ summam in dies singulos pro operis servi, utpote quibus interim cariturus ipse dominus & Creditor esset, dum ille trajectitiam pecuniam sequi teneretur. Consultus PAPINIANVS: an id quod hac ratione in singulos dies in stipulatum deductum esset, etiam ultra centesimam & supra duplum, sive alterum tantum usurarum debeatur, aut excurrere possit? Respondit quod non, sicut nec

nec in stipulatione fœnoris post diem finiti periculi interposita, siquidem periculo fœeneratoris sublato cessat quoque fœnoris nautici privilegium, CV JACIVS ad d. L. 4. §. 1. Lib. Obs. 38. HOTOMANN. de fœnore naut. n. 2. 7. & ult. juncta L. 122. §. 1. ff. de v. o. & L. 23. ff. de O. & A.

§. VI.

Porro in L. si non sortem 26. §. 1. ff. de condict. indeb. hæc tria ab VLPIANO JCTO exponuntur, primum nimium usuras, quæ legitimum modum exsuperant, sortis imputandas esse, deinde easdem in stipulatum deduci haud posse, nec tertio exigi ultra alterum tantum, adeo, ut si ultra usurarum nomine quid solutum sit, id ipsum per conditionem indebiti repeti possit, & sic usuræ solutæ cum solvendis eodem jure gaudeant. Cujus quidem rei rationem cum BARTOLO & BALDO hanc JASON in L. nostram 26. §. 1. reddit: quod quoties actus aliquis fiat lege resistente, neque civilis neque naturalis nascatur obligatio: quod confirmatur per textum disertum in L. 7. §. 16. ff. de pact. ubi VLPIANVS JCTVS pronunciat, quod, quoties pactum à jure communi remotum sit, hoc servari non oporteat, illudque nec jururandum nec stipulatio adjecta sustinere queat. Conf. L. Non dubium 5. in princ. C. de LL. Atque exemplo esse potest, quod mulieris intercedentis tota, h. e. & naturalis & civilis obligatio improbetur, sive illis in universonum non assistatur, per L. 16. inf. ff. ad SCt. Vellej. & L. 40. ff. de condict. indeb. quod secus est in mutuo à filiofamilias contracto, utpote in quo naturali obligatione subsistente, civilis tantum infringitur, arg. L. 7. §. fin.

§. fin. L. 3. in pr. & L. 10. ff. ad SCt. Macedon. At ite-  
rum aliud in obligatione pupilli sine autoritate tutoris  
contracta locum habet, ut sc. naturalis ipsius obligatio  
nulla sit, per L. 59. de O. & A. L. 40. ff. de condit. indeb.

§. VII.

Duæ autem nihilominus exceptiones obtinere coe-  
perunt in Jure Romano, constitutioni illi de coarctatio-  
ne usurarum intra alterius tanti terminos contrariæ;  
quarum exceptionum prima quidem proveniebat ex  
sancito IMP. ANTONINI & SEVERI in L. 4. C. de usur.  
utpote secundum quam usuræ poterant exigi ultra alte-  
rum tantum, si non directe, saltim indirecte, mediante  
nimirum pignoris retentione, BACHOV. ad TREVL.  
Vol. II. disp. 3. th. 5. lit. A. siquidem Creditor, licet, nulla  
usurarum facta mentione, simpliciter plane pecuniam  
mutuam dedisset, acceptis pignoribus, tam sortis, quam  
usurarum nomine pignus suum retinere poterat, neque  
actione pignoratitia ad restitutionem tenebatur, ante-  
quam usuræ una cum sorte essent ex solutæ: ut adeo  
Creditor, etsi non haberet actionem pro usuris alte-  
rum tantum excedentibus, saltem ope exceptionis se  
tueri posset, quod & jam antea locum habuisse non ob-  
scure JUSTINIANVS Imp. innuit in L. 27. §. 1. C. de usur.  
antiquioribus adhuc Legibus id ipsum adscribens, L. 18.  
ff. qui pot. in pign. Ratio autem fuisse videtur, quod  
Creditor habens pignus penes se virtualiter videatur  
rem omnem habere, ac brevi manu sibi ipsi satisfacere  
posse intuitu quarumcunque currentium usurarum  
usque ad valorem pignoris; vel brevius, quia pignus  
non tantum in sortem, sed etiam in usuras & omnia alia

B

de

de causa tenetur, arg. *L. 18. ff. qui pot. in pign.* & *L. 8. §. fin. ff. de pignor. act. juncta L. 56. §. 2. ff. de fidejuss.* & *L. 54. in pr. ff. locat.* ut autem pignus plene liberetur, debitum omne solvi necesse est, sive fors, sive usura fuerit per *l. 9. §. 3. & l. 11. §. 3. ff. de pign. act.* PAVL. CASTRENS. ad *l. 4. C. de usur.* BORCHOLTEN de *usur. cap. III. n. 46. & seqq.* & prolixè BACHOV. de *pign. & hypoth.* *l. III. cap. 5.* utut dissentiat ACCVRSIVS in *d. L. 4. C.* ubi quippe ait pignus non esse obligatum in usuris, nisi de eo nominatim convenerit, quo cum etiam facere videtur MOLINÆVS, aff BALDO & SALICETO alia adhuc stat sententia.

§. VIII.

Exceptio altera fœneratorum intuitu alterius tanti usurarii nitebatur constitutione ANTONINI CARACALLÆ *l. 10. de usur.* inibi enim jubet Imperator, ut usura per tempora sive particulatim solutæ non proficiant debitori ad alterius tanti computationem, sed ex solvendis solum illud constare debeat, unde solutæ non solum ad duplum & triplum sed etiam decuplum & amplius excrefcere possunt.

§. IX.

Interim prima illa exceptio cum multum iniquitatis & violentiæ trahere videretur IMPP. DIOCLETIANO & MAXIMINIANO, eo quod invitarentur hoc modo Creditores, ut nunquam fere pecuniam mutuam darent, nisi datis pignoribus, & Lex magis videretur favere duro, quam benigno fœneratori, siquidem illi semper via pateret, qua immensum fœnus etiam ultra triplum & sextuplum exigere, ac tandem omnia accepta pigno-

pignora absorbere posset, ideo dicti Imp. jure hoc retentionis sublato, rem ad pristinos revocarunt terminos, arg. *L. Pretii 19. C. Mand.* quod etiam jus Imp. Justinianus non modo confirmavit, sed & admodum extendit, ut luculenter patet ex *l. 27. §. 1. C. de usur. Add. HOTOMANN. in tit. de usur. §. fr. n. 33. item ad l. 27. C. eod. JVL. PAC. ad l. 10. C. de usur. CHRISTOPH. von Hagen in tr. de usu usurar. cap. V. n. 20. §. seqq.*

§. X.

Nec minus alteram supradictam exceptionem fœneratoriam ANTONINI CARACALLÆ constitutioni innixam sustulit IMP. JUSTINIANVS & arctos satis intra terminos usuras coarctavit in *d. l. 27. §. 1. C. de usur. §. tribus Nov. nim. 121. 138. §. 160.* in quibus quippe expresse cautum deprehenditur, ut usuræ etiam particulariter solutæ ultra alterum tantum excurrere haud debeant. Et si ulterior forte earundem facta fuerit solutio, postquam solutæ sortem jam æquarunt, eadem in sortem imputentur, adeo ut simulac hæ noviter solutæ sortis summam denuo exæquaverint, ipso jure liberetur debitor tam à sorte, quam ab usuris, id quod perspicuum satis est ex *Nov. 121.* in qua hæc species proponitur: Demetrius ab Artemidoro 500. aureos mutuos acceperat sub usuris, quarum nomine etiam soluti sunt diversis temporibus primum à Demetrio debitore & Palladio filio ejus aurei 867, quibus ex intervallo ab eodem Palladio adjecti sunt 72 & per Eusebium atque Aphthonium, ejusdem Palladii filios postea adhuc aurei 10. Cumque hæ usuræ particulatim solutæ summam 949 aureorum conficerent, quæsitum, anne

Demetrii hæredes 51 aureis, qui reliqui sunt ad fortis duplum, cum mille solidorum quantitatem, adhuc solutis, liberentur ab universo debito & sceneratitiam syngrapham ab Artemidori hæredibus recipiant? JVS TINI-  
NIANVS IMP. super hoc ipso imploratus, respondit quod sic, voluitque adeo, ut proficerent debitoribus contra *L. 10. C. de usur. vi hujus Novellæ*, non solvendæ tantum, sed etiam solutæ usuræ.

§. XI.

Et utique hoc ipsum sana exigit ratio, si enim æquum æstimatur, ut usuræ adhuc debitæ & solvendæ alterum tantum non transcendant, multo magis æquitas requirit, ut usuræ solutæ in alterum tantum computentur. Quid enim absurdius foret, quam melioris conditionis esse debere acerbum usurarum exactorem, rigidumque flagitorem, benigno dilatore; & ex altera parte, sollicitum & promptum in solvendis usuris debitorem deterioris conditionis facere, quam tardum ac morosum, permittereque, imo constituere, ut hic egregio legis beneficio perfruatur, illum autem dicto beneficio privare & ad solutionem usurarum in infinitum adstringere contra *l. 8. ff. de compensat. & l. 33. ff. de usur.* Reduxit itaque hac Novella IMP. JUSTINIANVS rem usurariam, quoad hoc caput, in statum *l. 26. §. 1. ff. de condi&. indeb.* juxta quam usuræ solutæ ultra alterum tantum conditione indebiti repeti possunt. CHRISTOPH. VON Hagen *de usu usurar. cap. V. n. 25.* BACHOV. ad TREVTL. *Vol. II. disp. 3. Th. 5. lit. A.*

§. XII.

Et quod mireris, adeo antiqua est usurarum cursus

sus intra alterius tanti terminos coarctatio, ut jam apud Aegyptios, antiqua lege cautum fuisse, ne usurae fortis quantitatem in cursu suo transcenderent, gravissimus autor sit DIODOR. SICVLVS *lib. 1. Bibliorb. Sect. 2.* ubi quippe legislatorem BOCHORIDEM, eos, qui acceptis syngraphis credidissent, prohibuisse refert usuris augere sortem ultra duplum, ex qua sanctione utique patet, antiquissimis jamjam temporibus sat odiosas fuisse usuras, jure ne an injuria, hujus loci non est disquirere. Saltim nemo forsitan negaverit, nimium fuisse zelum CATONIS CENSORII adversus usuras & usurarios, dum interrogatus, quid sit foenerari, cum indignatione respondit: hominem impune interficere, uti CICERO *lib. 2. off. circa fin. & PLVTARCHVS in vita ejus* refert, & quamvis hoc de foeneratoribus, qui graviores usuras exigent, quam aut Lege aut consuetudine permissum esset, intellectum velit ASCONIVS PÆDIANVS *in divinat. M. T. Cic.* parum tamen hoc interpretamentum convenit verbis CATONIS, dum foenerari idem esse dixit, ac hominem NB. *impune* interficere, foeneratores adeo usurarum modum haud excedentes ipsum indigitatos voluisse in aprico est, siquidem ipsemet CATO *in pr. L. de rustica* testatur, veteres Romanos foeneratorem, tanquam furem manifestum, quadrupli condemnasse, nec dubium est, Catonis etiam ætate foeneratores usurariam pravitatem exercentes haud fuisse impunes, siquidem ex loco superius ex CORN. TAC. *allato* satis apparet, jamjam LL. XII. Tab. vetitum fuisse, ne quis unciario foenore amplius exerceret.

§. XIII.

§. XIII.  
 Verum enim vero, quamvis (ut ex diverticulo in  
 viam, unde paulisper digressus sum, redeam,) ex dispo-  
 sitione novissimi Juris Justiniani res omni caret du-  
 bio, nec solutas, nec adhuc debitas usuras ultra alte-  
 rum tantum excurrere unquam posse, quamplurimi ta-  
 men, iique non infimæ notæ, sunt DDres, qui hanc  
 functionem in praxi non esse receptam acerrime con-  
 tendunt: quos inter familiam ducit PETR. SVRDVS  
*L. III. Conf. 302.* quem sequuntur ERN. COTHMANNVS  
*Vol. II. Resp. 52. n. 260. & seqq.* FRIDERVS MIND. *de*  
*mand. & monitor. Jud. L. II. cap. 73. §. 6. n. 20. & seqq.*  
 BERLICH. *P. II. Concl. 38. n. 35. & seqq.* FINCKEL-  
 THAVS *Obs. Pract. 40.* ZANGER *de Except. P. III. cap.*  
*25. n. 40.* LINDEMANN *de mutuo Cap. III. ibes. 52. & 53.*  
 CHRISTOPH von Hagen *de usu usur. cap. V. n. 140. &*  
*seqq.* pluresque alii. Quid? quod nonnulli eo usque  
 procedunt, ut <sup>in</sup> Novellarum illarum 121. 138. &  
 160. in dubium vocent, duplici fundamento nixi, pri-  
 mo nimirum eo, quod SEBAST. NÆVIUS eas in edi-  
 tione Florentina inveniri negat; secundo illo, quod *L.*  
*10. C. de usur.* Irnerius nullam authenticam subjecerit,  
 qua lector de mutata illius legis dispositione admoner-  
 retur, ut alias tamen facere consuevit, in quo quidem  
 RITTERSHVSIUS *in Exposit. Novellar.* Irnerium negli-  
 gentiæ potius accusare, quam autoritatem illarum no-  
 vellarum in dubium vocare maluit.

## §. XIV.

Quod autem alios juris textus supra allegatos at-  
 tinet, ad illos respondent, post GLOSS. & JASONEM  
 in



in L. 26. nec non cum BARTOLO, BALDO, CASTRENSI & SALICETO in L. 10. C. de usur. quod intelligendi sint de usuris unius anni, utpote quas ipsimet concedant alterum tantum non posse excedere. Non solum etiam de usuris solutis hi DDres volunt, quod alterum tantum excedere possint, sed etiam de adhuc debitis, in casu, quo de iisdem solvendis Creditor debitorem interpellaverit. Ita enim FINCKELTHAVS d. Obsf. 40. refert non solum Curiam Electoralem Wittebergensem pronunciaffe, usurarum ultra alterum tantum solutarum nullam concedendam esse conditionem, imo potius posteriores etiam solvi debere; sed etiam in casu quo debitor à Creditore seu judicialiter, seu extrajudicialiter interpellatus fuit, responsa dedisse Facultatem Jurid. Lipsiensem, Scabios item Hallenses & Magdeburgenses A. 1613. & 1616. pro Creditore contra Reum & alterum tantum, in eam sententiam, ratione dubitandi & decidendi sequentem in modum subiecta: Ob wohl der cursus usurarum, wann die Zinsen dem Capital gleich/retardiret wird, und ferner die usuræ nicht gefordert werden können/dennoch aber und dieweil solches nur dahin zu verstehen/wenn die Zinsen aus Nachlässigkeit/ und ohne Noth so lange stehen bleiben/bis sie den Haupt-Stuhl erreichen/ nicht aber alsdenn, da darüber litigiret/ und der Debitor in mora befunden wird/ oder da per sententiam das Capital und Zinsen vor richtig erkannt/ und nicht abgelegt wird. Item: weil dem A. Loskündigung und Anmahnung gethan und per interpellationem Bekl. B. in mora constituiret und in solchem Fall factæ interpellationis die dispositio l. 10. C. de usuris keine statt hat: So ist

ist auch Bfll. und nunmehr dessen Sohn und Erbe Klägern die Zinsen/ welche von A. 1586. bis iezo aufgelauffen zu erstatten verbunden/ und kan sich mit dem altero tanto, so hoch nemlich das Capital sich ergiebet/ die Zinsen abzustatten/ nach Gelegenheit disfalls/ vermöge beschriebener Kayserlichen Rechte nicht entbrechen noch loswürcken.

§. XV.

Similiter BERLICH P. II. Concl. 38. n. 37. testatur, pro Creditore, qui debitorem suum interpellaverat, A. 1610. à Scabinis Lipsiensibus responsum esse, eorumque vestigia postmodum Jenenses pressisse; quamvis parum cum hoc asserto BERLICHII conveniat id, quod Decis. 30. n. 8. P. 1. ait, in terris Saxonici Electoratus mirum contrarium plane quotidie observari & se hujus rei infinita præjudicia allegare posse, nisi forsan ipse per terras Electoratus Saxonici intellectum velit solum Circulum Electoralem Saxonicum, qui solus proprie & stricte constituit Electoratum Saxonix, & in quo metropolis est Witteberga: nec obstat superius allata Curix Electoralis Wittebergensis sententia, siquidem eadem solum usuras solutas concernit.

§. XVI.

Primariæ autem rationes illorum, qui non solum solutas sed etiam adhuc solvendas usuras ultra alterum tantum exigi posse statuunt, sunt sequentes: primo mirum, quod absurdum videatur, moram & culpam moroso debitori prodesse, ipsumque à solutione ulteriorum usurarum, postquam hæ sortem adæquaverint, liberari debere, contra verò vigilantem sibi que debitam pecuniam exigentem Creditorem quasi puniri, per-

perceptioneque usurarum non solutarum alterum tantum excedentium privari. Secunda ratio est, quod usura fructus sit pecuniæ & temporis utilitas *l. quod si Ephefi in pr. ff. de eo quod certo loco*, dum igitur usura respondeat usui pecuniarum, eousque etiam se extendere debere cursum usurarum, quousque se extendat usus pecuniæ; naturali enim æquitati haud conveniens esse, ut debitor re aliena fruatur, atque ex ea locupletetur cum jactura & damno Creditoris, *C. locupletari de R. I. in 6. L. Jure nat. ff. eod. juncta L. Curabit. 5. C. de act. emt.* Tertio loco urgent, quod dum ad certum modum in singulos annos permittæ sint ex dispositione juris usuræ, seu in compensationem utilitatis, quam sentit debitor ex pecuniæ usu, seu ob damnum quod sentit Creditor ex pecuniæ mutuo datæ carentia; non debere postea iniquum videri, quod antea æquum fuerit judicatum *cap. factum legitime de R. I. in 6. L. in ambiguis §. non est novum ff. eod.* atque sicuti illud, quod ab initio non valet, tractu temporis convalescere nequeat, *L. quod initio ff. eod.* ita contra, quod ab initio valide factum sit, temporis cursu infirmari haud debere, *L. Obligatio-num §. placet autem ff. de O. & A.*

## §. XVII.

Quod observantiam modernam attinet, testatur BERGER. *in Oecon. jur. p. 761.* de jure Electorali Saxónico, nonsolum ut de Jure Codicis, usuras particulariter solutas ultra alterum tantum currere, sed etiam non solutas, si quidem judicialiter sint exactæ *juxta Decis. 29.* & ita Senatum jam olim quoque censuisse *in causa Nicol von Lüttichau Söhne contra Rudolf Wilhelm von Lüm-*

**S**umpling, *Consl. æstiv. 1648.* Cæterum sunt etiam, qui ne quidem in Creditore id requirunt, ut interpellet debitorem suum de solvendis usuris, ad percipiendas easdem ultra alterum tantum, sequentibus rationibus freti, quod nimirum primo alioquin plecteretur Creditor sine omni sua culpa, ob id solum, quod mitior fuerit erga suum debitorem, nec eum subinde ad persolvendas debitas usuras urserit, & per consequens melioris conditionis redderetur rigidus pecuniarum exactor, quam mitis & indulgens Creditor. Secundo quod Creditor solutionem usurarum quotannis haud urgens reverâ tanto minus, quanto tardius exigit, §. *Plur. autem J. de Act.* qui autem, cum lucrum contequi possit, damnum potius patitur, fatuus magis, quam dolosus esse præsumatur, *L. 8. ff. de dolo malo.* Tertio, si id Creditoris esset culpa, quod non exegerit usuras, non minorem esse culpam in debitore, quod non sponte solverit usuras, uti eidem incumberet; minimum igitur culpas hæc se invicem tollere debere. At meminit se deberent, non raro contingere, ut quis debitor se debere nesciat, e. g. hæres defuncti, qui debitum contraxit, nec heredi id aperuit, aut alicubi calamo annotavit, sive ex negligentia, sive quod forsan scribendi fuerit imperitus. Tali enim in casu utique iniquum foret talem debitorem ad solvendas etiam ultra alterum tantum usuras adstringere, cum præsumtio haud exigua pro ipso militet, eum, si debitum scivisset, particulariter usuras fuisse soluturum, nec permissurum, ut eadem usque ad exuperantiam alterius tanti sese cumularent.

§. XVIII.

§. XVIII.  
 Quemadmodum autem, ut paulo ante diximus non pauci dantur DD. qui usuras ultra ALTERVM TANTVM vel indiscriminatim & absolute quibuscunque in casibus, vel saltem restrictivè in determinatis quibusdam, excutere posse, acriter defendunt; ita adhuc major est numerus eorum, qui contrariam plane tuentur sententiam, quas inter sunt CARPZOV. in *def. forens. P. II. C. 30. def. 26. n. 4. & seqq.* qui eandem quotidie observari in judicando & respondendo à Scabinis & Facultatis Assessoris Lipsiensibus testatur; BERLICH. *P. I. decis. 30. n. 8.* ubi in terris Saxonix superioris sic continè pronuntiarè asserit; RICHTER, qui *decis. 74. n. 85. & seqq.* Jenæ, Coburgi & alibi sic responsum fuisse multis confirmat; HOTTOMANNVS & DION. GOTHOFREDVS ad *L. 10. § 27. C. de usur.* DONELLVS ad *L. 10. 26. § pen. n. 2. C. eod.* JVL. PACIVS ad *d. L. 10. GI-PHANIUS ad d. L. 26. PEREZ ad tit. C. de usur. n. 16. CV-JACIVS & MATTH. STEPHANI ad Nov. 121. & 138. GREGORIUS in Synragm. Jur. univ. L. XXII. c. 4. n. 1. VI-GELIVS P. V. ff. L. 36. cap. 9. reg. 3. RVLANT. in Tr. de Commissar. & Commiss. P. IV. L. 6. cap. 6. n. 36. ZANGER. de except. P. III. cap. 25. n. 29. BORCHOLTEN de usur. cap. fin. n. 19. WESENBECK. in prælect. ad C. de usur. n. 31. TREVTLER. Vol. II. Disp. III. Th. ult. HACKEL-MANN. Disp. IV. ad P. IV. ff. Th. 28. STVCKIVS Exercit. Justin. P. II. Decis. 5. ass. 8. in ff. TABOR in Consultat. Academ. de Pallad. & præf. debitor. per belli calam. ad incitas redact. sive de benefic. L. 27. §. 1. C. de usur. per tot. & inprimis P. II. Art. 2. n. 8. 9. 10. & 11. GVDDELINVS de*

*jure noviss. L. III. cap. 3. vers. venio ad tertium. RODERICVS de ann. redit. Lib. III. qu. 4. n. 32. & qu. 3. n. 2. RAGVEL in Comment. ad Decis. JUSTIN. L. 27. C. de usur. JOH. à SANDE Lib. III. Decis. Fris. tit. XIV. def. 5. lit. A. & D. JOH. BAPT. LVP. de usuris in L. 5. C. de Act. emt. Comm. 1. §. 3. n. 50. & seqq. MOLINEVS in Tr. de usur. n. 46. & 47. JOH. SAVARO CLAROMONT. in Comment. ad epist. 24. Lib. IV. Sidon. Apollinar. BALDVINVS in Nov. 121.*

## §. XIX.

Apprime tamen notandum hos ipsos DDres concedere, variis subjectam esse exceptionibus sententiam suam: siquidem primo excipiunt usuras pupillares, quas nimirum tutor, qui pecunia pupilli usus est, solvere pupillo tenetur, BERLICH P. II. Concl. 38. n. 7. CARPZOV. in Asylo debitor. C. 1. pos. 38. MOLINEV tamen in Tr. de usur. qu. 77. n. 599. seqq. distinguit inter casum, quo adhuc durat tutelæ administratio, & casum quo eadem finita est, redditis rationibus, & in priori quidem casu tutorem usuras ultra alterum tantum etiam debere statuit, minime vero in posteriori, hac assignata diversitatis ratione, quod in priori casu tutor ceu administrator rei alienæ, quam primum usura sortem æquaverit, debuerit & obligatus fuerit, à semet ipso quasi sortem cum usuris exigere, illam pecuniam patrimonio pupilli vel minoris imputare, imputatamque si res & occasio ita tulisset fœnori denuo exponere, arg. l. 7. §. 10. l. 9. §. 3. & 4. ff. de adm. & peris. tur. juncta L. 3. §. 4. ff. de contr. tur. act. & L. 38. ff. de neg. gest. jam vero, quia hoc non fecerit, haud præsumi quidem illum pecuniam pupillarem intervertere ausum, attamen

men ceu de novo creditum sibi adscripsisse, ac sibi ipsi potius, quam alii eandem scœnori elocare voluisse *per text. notab. in L. 9. §. non tantum ff. de adm. & per tut. merito igitur ulterius porrigi cursum usurarum non tantquam ex veteri, sed tantquam ex novo mutuo, quamdiu nimirum tutelæ durat administratio, & rationes desuper nondum sunt redditæ, nec pecunia pupillaris serio oblata, arg. L. 7. §. fin. L. 28. & L. 46. §. 3. ff. eod. L. fin. C. de usur. pupill. junctâ L. 19. C. de usur. it. L. 7. §. 12. & L. 58. §. 1. ff. de admin. & per tut.* Posteriori autem in casu, ubi tutor instar alterius extranei cujusdam debitoris esse incipit, qui à semetipso quasi debitum exigere non tenetur, post tutelam rite finitam, ultra alterum tantum usuras currere haud posse, arg. *L. 46. §. quæsitum ff. eod. Add. CHRISTOPH. von Hagen de usu usur. cap. V. n. 291. & seqq.*

## §. XX.

Secundo CARPZOV. *in all. tr. de asylo debitor. C. 1. pos. 28.* cum aliis nonnullis statuit excipiendas etiam esse usuram præstandam viduis, nec non piis causis. Tercio excipiuntur etiam usuræ ex re judicata debitæ, ad ejus rei meliorem explicationem CARPZ. *in pr. crim. P. 2. qu. 92. n. 54.* talem format casum: Debitor quidam Creditori suo usque ad alterum tantum usuras persolverat, & lite postmodum super sorte mota condemnatur à Judice ad hujus quoque solutionem, quam tamen nimium quantum differt morosus debitor; quæratur igitur, an hoc in casu à tempore etiam rei judicatæ posteriores solvere teneatur usuras, & sic ultra alterum tantum, & respondetur quod sic, hanc quidem

dem ob rationem, quia ex iudicato oritur obligationis novatio, pristinaeque actioni ex stipulatu competenti succedit nova ex iudicato, *l. ult. C. de usur. rei jud. l. 3. §. idem scribit ff. de pecul. l. 16. §. 6. ff. de pign. & hypoth. ita ut novatio haec finem faciat prioribus solutis usuris, & contra initium novatum, arg. *l. 29. ff. de novat. ac quoniam adeo post rem iudicatam & legitimum iudicati solvendi tempus, quod in actione personali est 4. mensium, vi l. 2. C. de usur. rei jud. §. l. 3. §. fin. ff. de usur. ex nova iudicati causa usurae debentur, merito illae de novo currunt, nec ante sistuntur, quam vel iudicatio fuerit satisfactum, vel alterum tantum denuo attingerint, PEREZ ad tit. C. de usur. rei jud. n. 5. BERLICH P. 1. decis. 30. n. 9. FINCKELTHAVS Observ. Pr. 40. in fine.**

## §. XXI.

Quinto etiam excipere solent casum, si usurae stipulanti cuidam promittantur hac lege, ut quamdiu eadem solvantur, fors peti haud debeat, ibi namque cum BALDVINO & CVJACIO existimat RITTERSHVSIUS in *Exposit. Novell. P. III. cap. 9. n. 19.* ob aequitatem naturalem pactum ejusmodi servandum esse *per text. in l. 4. §. fin. ff. de pact.* Sexto etiam excipi solet casus, quo usurae per modum interesse petuntur, tritumque esse Pragmaticorum principium: usuras ultra alterum tantum deberi, si per modum interesse petantur, testis est CELEBERR. WERNHER in *Select. Obs. forens. P. III. Obs. I.* quod brocardicum tamen ipsi non solum suspectum est, sed & plane falsum videtur.

## §. XXII.



Ad id ipsum autem ostendendum ita *ibid.* Rationes subducit: de usuris, (quas inter & *interesse* largitur notissimum discrimen; quod nimirum illæ sint velut merces, quam debitor Creditori pro usu pecuniæ creditæ præstet; hoc vero, *interesse* nimirum, omne lucrum cessans, & damnum ex eo, quod factum non est, & fieri tamen debuit, mergens indigitetur) nunquam quæstionem occurrere posse, nisi de sorte quæ in certa quantitate consistat, agatur, quod neminem putat negaturum: atqui Leges manifeste vetare, in casibus, ubi de certa quantitate vel specie agatur, ejus quod interest ultra alterum tantum rationem haberi, ut hinc inter *usuras* & *interesse* nulla hoc in passu differentia intercedat. Jus vero novissimum, quo hac de re cautum sit, haberi in *l. ult. C. de sentent. quæ pro eo quod interest*, cujus autem sensus evidentissimus sit, quod in casibus certis, seu ubi certa quantitas aut species in obligatione sit, *interesse* alterum tantum excedere haud debeat, in casibus incertis vero, utputa, si factum, aut simile quid, in obligatione sit, verum *interesse*, quantumcunque sit, adjudicetur. Ubi facile pateat, ne his quidem in casibus citra absurditatem dici posse, quod *interesse* duplum superet, cum propter incertitudinem objecti, quod vertatur in obligatione, nullum plane simpliciter intelligi possit, nec adsit principale quiddam, quod definitam ac determinatam naturam habeat, ita ut præter illud etiam *interesse* petatur; sed totam petitionem solum id, quod interest, habere, cum in casibus certis primo id, quod principaliter debetur, vel  
ejus

ejus æstimationem, ac insuper simul *interesse*, ita tamen, ut hoc ultra illius quantitatem non affurgat, præstare oporteat. Ne quid autem dubii circa Imperatoris mentem *in præd. L.* remaneat, IMPER. in subsequen-  
tibus *uall d. r. d. d. u.* sequitur, singula legis verba expendit, totamque legem paraphrasi illustrat, quam cum ulteriore hujus rei deductione *l. a.* legere possunt, quibus volupe est. Verum enim vero viderit CELEB. DN. WERNHER, quomodo huic sententiæ suæ conveniat cum expresso textu in *Decis. Elector. 29.* apud PHILIPPI *p. 571.* ubi satis clare disponitur, usuras interpellato judicialiter debitore, etiam ultra alterum tantum, instar moderatioris INTERESSE (als ein billiges und moderirtes Interesse) solvi debere. Septimo exceptionem etiam communiter faciunt annuorum redituum, sed quid hac exceptione opus sit, haud video, cum de cursu usurarum sermo sit, quibus annui quidem reditus quadantenus sunt affines, cæteroquin vero ab illis utique differunt.

F I N I S.



ERFURT, Diss., 1730 (1)

ULB Halle


003 749 266

3



TA → OL





1730, 29. 20. num. 37. *32*

13

DISSSERTATIO INAUGVRALIS IVRIDICA,  
DE EO QVOD IYSTVM EST  
CIRCA  
ALTERVM TANTVM  
VSVRARIVM,  
QVAM  
CONSENSV  
ILLVSTRIS FCTORVM ORDINIS  
ALMÆ AC PER-ANTIQVÆ VNIVERSITATIS  
ERFORDIENSIS,  
PRÆSIDE  
DN. ERNESTO TENZELL, JCTO,  
EMINENTISS. AC SERENISS. PRINCIPIS ELECTORIS MOGVNTINI CONSILIARIO  
REGIMINIS, IVDICII PROVINCIALIS ERFORDIENSIS ASSESSORE,  
AC CIVITATIS CONSULE PRIMARIO,  
IN AVDITORIO JCTORVM MAIORI,  
PRO SVMMIS IN VTROQVE  
IURE HONORIBVS  
RITE CAPESSENDIS,  
ERVDITORVM CENSVRÆ SVBMITTIT  
15  
DANIEL ANDREAS HEROLD,  
Herzbergenfis.  
DIE XXX. JVNII A. M DCC XXX.  
ERFORDIÆ,  
Literis GROSCHIANIS, Acad. Typogr.

